





1928 K 944

DISPV TATIO IN AVGVR ALIS MEDICA

DE

# STIMVLONATVRAE NON OBTVNDENDO

Q V A M

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
P R A E S I D E

G E O R G I O A V G V S T O  
L A N G G V T H D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O. FAC. S. SENIORE  
ET H. T. DECANO

AD DIEM X. OCTOBR. CICIO CCLXXIV

H. L. Q. C

P R O G R A D V D O C T O R I S  
P V B L I C O C O M M I L I T O N V M E X A M I N I

P E R M I T T I T

I O A N N E S F R I E D E R I C V S E I S F E L D  
N E L B I E N S . M A G D E B U R G I C V S  
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.

1774

DICENATATIO INZAVGARIAE MEDICO

DE

INVENTA  
KOMMUNICANTIA  
VOCIS DICTINDBUS

COMPLEXA EQUITIOI MEDIOLANENSIS

ORBIVS ADOGOE  
HVNTHIA

SCVLPI CLOACIS  
CLOACIS



Q. D. B. V.

STIMVLVS NATVRAE  
NON OBTVNDENDVS.

---

§. I.

**M**ira profecto res est, vix inuentura fidem, nisi eamdem probatissimis denegare veritatis nefas esset, mortalium plerosque omnes non modo de exiguo, sibi a natura circumscriptio, vitae curriculo acerbe conqueri, toties fugacissimis suis annis cum lacrymis ingemiscere, et in ipsam tandem naturam, tanquam iniusta noverca maligniorem, grauiter inuehi; sed etiam aetatis longinquitatem, ad secula duraturam, omnibus sibi votis poscere, imo vero non annos, sed innumerabilem annorum seriem, confidenter sperare et benignissime polliceri: contra ea tamen omnia, contra ipsa sua vota, se ipsos sibi plurimum tam exiguum vitae curriculum circumscribere, naturae, per

A 2

se



se satis velociter currenti, calcaria veluti addere, et dies iubere suos properantius ire. Siccine natura tua,

— *Quod fuerat stimulis factura sine ullis,  
Plenius auctorem te quoque nacta facit?*<sup>a)</sup>

§. II.

Scilicet natura nostra nullis alienis, admouendis sibi, indiget stimulis. Insunt in illa genuini, facileque sufficientes, qui nos continenter moneant moueantque, ut debitum ipsi officium promte alacriterque faciamus, ut studia eius adiuuemus, ut virae necessitatibus omnibus subueniamus modis. Blandis his obtemperantes monitoribus amplissimum ac iucundissimum, virtuti a natura propositum, consequimur praemium; nec modo de nobismet ipsis, de integre conservanda natura nostra, ut cum facilitate, constantia, iucunditate, omnes res nostras prospere agere, et in longum, possumus, durare; sed quod maius adhuc et multo habendum est gloriosius, de publico etiam egregio, de vniuerso genere humano, paeclarissime promereri, et nostrum memoriam longissimam, possumus, efficere. Secus si facimus, si dicto audientes esse, monitus naturae reuereri, et vicem ipsi reddere, nolumus, quid aliud potest stantem pro ratione voluntatem, quid ignauiam, leuitatem, negligentiam, temeritatem, pertinaciam, iracundiam, intemperantiam, luxuriem, fluentissimas voluptates libidinesque, consequi, quam ut nosmet ipsos citius tardius grauiissime puniamus, quam ut cum molestia atque taedio, non sine dolore cruciatuque, non sine acriori aegritudine animi, ex conscientia culpa conscientia, mox perpetua conturbemur inualetudine, mox tacitis lentisque conficiamur morbis, mox in flore iuuentutis nostrae, medios

<sup>a)</sup> OVID. ex Ponto, II. XI. 19.

medios inter desideriorum stimulos, spes inter et exspectationes nostras, tanquam decrepiti de ponte deiiciamur, ruentesque in acerbissima fata moras omnes vitamque praecipitemus, atque adeo constitutis a natura suppliciis tandem afficiamur atque pereamus.

### §. III.

Quotus vero quisque inuenitur hominum, qui ita sit suis in aedibus hospes ac peregrinus, quin probe sciat, quae intus, quae in intimis tecti sui penetralibus, gerantur; qui studia, desideria, necessitates, stimulos ac igniculos, naturae suae, expertissimus non norit, qui iisdem quotidie se denuo vrgeri, pungi vrique, non sentiat? Animi et corporis vnione sumus homines, et suis cuique parti stimulis prouisum est. Feruent mortaliū pectora innata aliqua et inexplebili viuendi cupidine, et suae sibi vitae conscius, nec vera tamen sapientia, ne dum religione, subactus, animus, nihil tristius, nihil magis a sua natura alienum, terribilis nihil, cogitare et sibi repraesentare potest, quam mortis imaginem, quam vitae finem, animique, vitae auctoris, a suo deamato corpusculo discessum. Inest porro in ipso vitae ac valetudinis vsu sensuque tanta, a natura indita, suauitas et dulcedo, ut mens sana in corpore sano, ex omnibus bonis, quae in res cadere humanas possunt, principem facile locum teneat, tantoque nos efficacius, ad omnes curas nostras ac vigilias, in ista bona nobis conseruanda et perpetuanda, conferendas moueant ac impellant; ut, optio si detur, et alterutro carendum sit, cetera omnia fortunae blandimenta et illecebras, honores, diuitias, voluptates, facile mittamus, contemnamus, in illa, nobis asserenda, bona domestica impendamus; ut nec ultima denique pericula et praesentissima capitis discrimina subire, et pro redimendā vita, tanquam pro aris et

A 3

focis,



focis, decertare, dubitemus. Omnia extrema in extremis  
malis experiunda ducimus:

— — — *immedicabile vulnus*  
*Ense recidendum est, ne pars sincera trabatur*<sup>b)</sup>.

§. IV.

Etsi vero animus, tanquam dux et imperator vitae, nobis est praepositus, eius tamen vocem percipere, eius sentire stimulus, nuper maxime in lucem editi, infirmi, rerumque nostrarum nobis nondum, aut non satis, consciū, non semper possumus. Multo prior est nostra indigentia; instantia, vrgentissima, sunt naturae nostrae desideria; morulam pati nesciunt. Viviūmus multo ante, quam quid cum conscientia cupiamus ac sentiamus; brutorum instar animalium, quae nullum ducem alium, nisi instinctum, sensum, consuetudinem, audiunt ac sequuntur. Cui accedit, maximam generis humani partem, vitam viuere, animalem magis, quam rationalem, et praesentibus, sensusque ferientibus, bonis malisque, citius ac efficacius moueri et incitari, quam futuris fortuitisque, sive sperandis, sive metuendis. Igitur in corpore quoque nostro, in visceribus nostris, sui inesse debebant, sui insunt, stimuli. Tam sapienter, enim, tam et admirabiliter fabrefacta est corporis nostri machina, ut ipsa se sua in integritate conseruare annitur; ut, quantum vitae vsu perditur ac destruitur, sine omni mora instauret, ut omne damnum aut auertat, aut resarciat. Ut viuamus itaque, vt valeamus, crescamus, nutriamur, integri robustique conseruemur, longum in aeuum perduremus, quodque adeo consequitur, vt omnia nostra obire officia, vt ad omnes fines nostros et veram tandem felicitatem peruenire possimus, haec *omnia*

<sup>b)</sup> OVID. met. I. 190.

omnia his machinae nostrae corporeae stimulis primario accepta a nobis referenda sunt.

§. V.

Consentaneum itaque esse nemo non videbit, quin sponte quoque concesserit, istos naturae nostrae stimulos ac instictus diligentissime a nobis obseruandos esse ac custodiendos, citraque prosperae offensionem valetudinis, neque negligi supine, deprimi eludique, neque vero etiam temere augeri intendique, debere. Etenim et hic

*Sit modus in rebus; sint certi denique fines:  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum<sup>c</sup>).*

Atqui vero nullam, sanitatis conseruandae, nullam vitae prorogandae, regulam, crebrius migrare solent homines, quam istam ipsam, quae de stimulo naturae non obtundendo praecepit. Ac modo quidem dupli, ut dictum est, a norma naturae conuenienter viuendi defleunt, dum alii, tanquam inofficiosi, monita eius non attendunt, saepius negligunt, atque sic semetipsos deserunt; alii, contra, nimis officiosi, hos naturae stimulos, per se satis vegetos acresque, importunos non raro ac imperiosos, quantum per omnes artes contendere possunt, augent, exacuant et accendunt. Quum omnia horum neglectum ac peccatorum genera angusto hoc loco comprehendendi nequeant, age, potiora per suas partes persequamur, et qui stimuli praesertim pessimumdantur, obtundantur, extinguantur, commemoremus; quo eos, qui sibi ab arte nostra salutari in vitam longam beatamque adhuc volunt consuli, ad naturam reuerenter habendam adducamus,

nume-

\* HORAT, Serm. I. Sat. I. 106.



numerosiorem vero reliquorum turbam ex deuio itinere in viam virtutis non inuiam reducamus.

### §. VI.

Tritum est sermone prouerbium, et naturae pariter consentaneum, ac per experientiam confirmatum, bene illos ac prospere valere, qui et bene ingerant, et bene digerant, et bene egerant. Secundum PYTHAGORAM AC SENE-CAM<sup>4)</sup> nunquam satis laudandos, sed non remissius sequendos, hos nobis terminos: non esurire; non sitire; non algere; hoc est, vietum et amictum requirere; lex naturae constituit. Et nostra Medicorum consuetudo summatam vitae ac sanitatis in eo contineri et sundari ponit, ut actiones, quae dicuntur, seu functiones, nobilissimorum viscerum, vitales, nimirum, animales et naturales, rite inter se conspirent ac succedant; quae singulae suis etiam non destituuntur stimulis. Nobis, a recepta hac doctrina non discedentibus, concessum sit hoc loco, naturae praesertim corporeae desideria, ad tria haec capita: ut naturae conuenienter et ingeramus, et egeramus, et conseruandum genus humanum adiuuemus, reducere. Cui haec, ut decet, ad vota, naturae non repugnantia, procedunt, non habiturus est facile, de quo male contentus conqueratur, quod amplius desideret: atque his vitae necessitatibus ac naturae desideriis tam benigne etiam a natura, mutato nomine, a maximo ac potentissimo huius vniuersi conditore, arbitro ac rectore, prouisum est, ut melius, ut liberalius, omnino nequeat. Ad haec enim continentur secundum naturam peragenda, animi corporisque instinctu quodam ferimur, impulsuque; nec desunt etiam, quibus his satisfaciamus stimulis. *Parabile est, quod natura*

<sup>4)</sup> Epistol. IV.

natura desiderat; et expositum; ad superuacua sudatur; quod satis sit, ad manus est <sup>c)</sup>.

### §. VII.

Quum tribus his rebus, cibo, potionē, spiritu, animantium vita, consentiente nobis CICERONE,<sup>f)</sup> maxime teneatur, primum esse, quod nobis debeamus, officium, cernitur, vt natura nostra nihil detrimenti capiat, vt ea continenter ipsi offeramus atque ingeramus, ex quibus illa composta est; <sup>g)</sup> ad quae percipienda os nobis datum est aptissimum. Ut viuamus, enim, quotidie nobis edendum ac bibendum est; licet non viuamus, vt edamus bibamusque; quo se a ceteris hominibus differre interrogatus respondit, Philosophorum facile princeps, hominumque sapientissimus iudicatus, SOCRATES<sup>h)</sup>. Evidem caussam huius necessitatis, perpetuae nostrae indigentiae, ex ipsa fabrica ac conditione machinae nostrae corporeae, ipso vitae vsu fese paullatim deterentis ac corruptentis, omnes facile perspicimus, perspicere saltem possumus; etenim haec quoque non persistant, quae nos elementa vocamus; sed illa tamen sola, pulcherrime etiam intellecta, caussa nos certe eo non adigeret, vt quotidie et sine intermissione de parando nobis vietu quotidiano co-

<sup>c)</sup> SENECA loc. cit.

<sup>f)</sup> de Natura Deor. II. 54.

<sup>g)</sup> OVID. Met. XV. 340. 352.

gita-

Nec quae sulfureis ardet fornacibus, Aetne,  
Igneas semper erit; neque enim fuit ignea semper.  
Nempe ubi terra cibos alimentaque pinguis flammæ  
Non dabit, absuntis per longum viribus aevum;  
Naturæque suum nutrimentum deerit edaci,  
Non feret illa famem, deserataque deseret ignes.

<sup>h)</sup> A. GELLIUS, XIX, 2.



gitaremus, quem, ut nunc humana fert conditio, plurimum non sine multo sudore exercere possumus. Nisi purges, aiunt, et molas, nihil comedes. Faciendum itaque erat, ut fundi nostri calamitatem viuidius sentiremus, ut necessitatem istam non modo moleste ferremus, sed ut plane illam tolerare non possemus. Inhabitat hunc in finem extimulatos aliquis et extortor in visceribus nostris, in ventriculo, qui iejunum illum et vacui impatientem continuo titillet, vellicet, lacestat et irritet, ut aliquid ingerendum appetat, ut impleri se sollicet, ut murmuraret, latret furatque. Imperiosa fames est; et, HOMERO iudice,

*Non est improbior res altera, ventre molesto,  
Quique sui iniuitos etiam memores iubet esse.*

### §. VIII.

Hoc exemplo suo infantes nostri, tum recens nati et adhuc a matre rubentes, tum puelli, laetis adolescentes incrementis, nec nimis molliter habiti, luculenter quotidie comprobant. Quid primus enim eorum vagitus ac quiritus, quid postea cum lacrymis saepe confusae preces, quid laetus, in beneficam mamillam, in cognita iam et consueta edulia, in aridi saepe panis crustulam, impetus, quid tacitum de his ad votum occupatis, cupediis suis gaudium, et plena post ingestum cibum consolatio, et consequens satissecatum fastidium, quid aliud; inquam, haec indicant vereque demonstrant, quam occulti quamdam doloris molestiam, quam famis, tories redeuntis, magnitudinem, et ingenitum a natura stimulum? Porro autem, crescentibus annis, nondum eruditio corruptoque palato, quid aliud contendit, tantum non perpetua, ventris vacuitas, et impotensim imperiosae famis stimulus, quam expleri? Tum sane nondum fames illa ambitiosa

bitiosa est; quidquid offeras, ad palatum est; quidquid ingeras, perinde est; nihil tum repudiamus, nihil stomachamur. Quoties nostra puerilis simplicitas, trita illa HORATII<sup>1)</sup> verissima esse et naturae consentanea, exultans tripudiansque, experta est:

*Latrante stomachum bene lenit cum sale panis;*

itemque:

*Ieiunus stomachus raro vulgaria temnit!*

Et dic, amabo te, quoties inferioris fortunae homines, operarios quosuis, mercenarios, ruricolas, baiulos, lignatores, et quos non alios, duro labore multoque sudore vietam tolerantes, quoties illos vidisti ieiunia sua, atro densaque pane, cum arido forte caseo, ac seculo olere, summa edendi appetentia placare, ut non statim dirae famis stimulos agnosceres, et a consuetudinis veluti mechanismo quedam, gulonumque voracitate ac prodigentia, distingueres. Enim uero, hoc est naturae conuenienter viuere: non ante edere, quam fames imperet; non plus, nec minus, edere, quam ventri, bene instituto, nihil amplius desideranti, satis sit; non delicias ligurire, non heluari. Repte SENECA<sup>2)</sup>: *Venter praecepta non audit, poscit, appellat; non est tamen molestus creditor, paruo dimititur; si modo das illi, quod debes, non, quod potes.* Optimum cibi condimentum, optimus coquus pistorque, fames est; atrum malumque panem bonum facit; villici, atriensis, coloni, sui panem SENECAE aliquando tenerum, filigineum, reddidit; et Ptolomaeo illi

B 2

Cicer-

<sup>1)</sup> Serm. II. Sat. II. 17. 39.

<sup>2)</sup> Epist. 21 et 123.



Ciceroniano<sup>1)</sup>), Aegyptum peragranti, quum comitibus non consecutis cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est isto quidem pane iucundius. Sic est. Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis viuendi iura descripsit, ut salui essemus, non delicati; quidquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur.

### §. IX.

Dantur tamen non pauci, nec praemiis alliciendi, nec poenis coercendi ac deterrendi, qui hunc naturae ac ventriculi stimulum non satis reuerenter habeant, non attendant, sed negligant potius, suppressant et obtundant. Dabimus operam, vt ne in rebus his apertissimis nimium longi videantur. Qorum igitur numero hos primo loco habeas censendos, qui matutina ac pomeridiana sua tempora caldae frigidaeque vstu abusuque consumunt, et ventriculum, quod probabiliter prae se ferunt, non tam elutriant, quam eneruant et cruditatibus ingeminandis obnoxium reddunt; qui iusecula copiose nimis forbillant, ab ouo statim ad mala usque, omni potionum genere, aqua, cereuisia, vino, plusculum largiter se inuitant, et mensae secundae loco, tanquam in complementum, calidis Theae aut Coffeae soritionibus se denuo inundant: quodque consequitur, ventriculum insolentius distendunt, emolliunt, domesticum eius liquorem nimis diluunt, sua illum virtute exuunt, fainem fallunt, ciborum digestionem turbant, tandemque anorexiis, apepsiis, flatulentiis, borborygnis, hypochondriacis malis, e. s. p. portas fenestrasque patefaciunt; qui opus suum nimium urgent, litterarum studiis, protractis profundioribus meditationibus, aliis occultis desideriis, curis, moerori, vehementioribus

<sup>1)</sup> *Tuscul. I. 54.*

tioribus animi commotionibus, iracundiae, desperationi,  
 nimis inhaerent ac indulgent, totas noctes vigilant, vigilantes  
 somniant, laboribus se frangunt, venere se exhauriunt, otio  
 et quiete, somno in diem extracto, corpus hebetant, graue,  
 marcidum, torpidum, reddunt; qui mensae accumbunt,  
 animo peregre absentes, rebus suis agendis, parandis diui-  
 tiis, honoribus augendis, voluptatibus opportune aucupan-  
 dis, venereis praefertim explendis, vnicے intenti, hinc taciti  
 tristes, difficiles ac morosi, ex consuetudine magis, quam ex  
 officio et cum delectatione, se replentes, quidquid appouit-  
 tur, saepe sine sensu ac conscientia, sine discriminé, inter  
 contentiones saepe, et ambiguas disputationes, et insana  
 iurgia, aquide raptimque ingerentes, et per gulam callo ve-  
 luti obductam praeципitantes; qui fordide auari, cibi horae,  
 toties redeunti, irascuntur, iejuniorum frequentiam, ex se-  
 uerioris disciplina religionis, maximopere probant, laudant  
 et commendant, suum ipsorum genium fraudant, sibimet  
 ipsis de cibo deducunt, eoque non vili tantum, sed tetro hor-  
 ridoque, vtuntur, insatiatique ocyus remota mensa discedunt;  
 qui delicioris sunt fastidii, et ad redeuntem rei, minus iu-  
 cunde perceptae, memoriam, longam facile nauream con-  
 cipiunt; qui tandem fumo Tabaci hauriendo supra modum  
 delestantur, mallentque saepe saliaribus carere dapibus,  
 quam vaporoso illo nectare et ambrosia se non pascere, et si  
 cibi appetitum sibi minui, famemque compesci, sentiant, do-  
 lenterque ferant. Quum cibi, in vniuersum, viribus conser-  
 uandis ac recuperandis idonei sint, tantaeque necessitatis, vt  
 vel ex flamma petendus vietus sit, haud difficulter intelligitur,  
 non sine multiplici offensione naturae, poenitentia poenaque,  
 hunc eius stimulum contemni, reprimi et obtundi, inprimis-  
 que primas, quae dicuntur, vias, ventriculum et intestina,  
 sic male affici, robur eorum infringi et ipsam tandem cibi  
 digestio-

❧      ♦      ❧

digestionem vitiari, sine cuius integritate tamen vita prorogari non potest.

§. X.

Nec desunt numerosa, ex genere potissimum feminino, eorum exempla, qui alterum naturae stimulum, multo communiter importuniores, potus, puta, appetitum, sitimque, non attendunt sed negligunt, parcissime sattem ipsi satisfaciunt, fallentes potius eamdem, quam explentes. Sunt forsan, qui inter prandendum ac coenandum malo hoc consilio a potionē se abstinent, illa cito transitura ne ventriculum dispandant, cibique appetitum deiiciant; quum illum auctiorem potius, cum capaciore geminoque ventriculo, sibi praeoptent, ut cibos copiosius ac iucundius ingerere possint. Quem tamen praetextum sibi obiici, aegrius solet ferre chorus femineus, hanc abstinentiae suae caussām intersetens, quod iurulento magis ac vegetabili vtantur viatu, inprimisque acetariis delecentur et horaeis fructibus, fauicium siccitatēm sitimque comode lenientibus, potusque supplentibus inopiam. Et vita quoque, quam feminarum pleraque agunt, sedentaria, minusque negotiosa, vtrique ipsis tantam bibendi necessitudinem, ac res multi sudoris tractantibus, imponere non videtur, hanc magis genuinam ob caussām, quod caldam plurimae lumbentius expetant, potuque Coffeae se assatim consolentur, vitis licet munera non ita ament, nec vini spiritu, nec incensa Nicotiana, irriguas fauces exsiccent et tantum non adurant. Neque hoc sine attentione potest praetermitti, feminas in vniuersum plumbeis fere ferreisque indutas, incarceratas, thoracibus, saepe multumque prohiberi, quo minus monitoribus naturae, suoque animo, quod lubentes subinde facerent, obsequi, seque cibo potuque paullo liberalius inuitare possint. Fugiant vinum zythumque abstemii, dummodo meris

ris vndis gaudeant, multaque aqua sitim compescant. Maior enim quodam modo, ac celerior, obseruatur bibendi necessitas, quam edendi; quare etiam stimulus iste multo acrior sentitur, et intolerabilior, ad paucas saepissime horas, ad minutissimam morulam, arentibus faucibus, sitique ignea, iniquissime, saepe numero non sine summa pernicie, non sine dirissimis cruciatibus, alienatione mentis, furore, rabie, ferendus. Etsi vero tam grauis poena neglectum hunc stimulum non presso semper pede sequatur, putandum tamen non est, hac in re delinqui omninoque peccari non posse. Non tantum solidarum nutritioni partium, conseruandoque earum robori, sumto, fame imperante, cibo, prouidendum est. Etiam humorum mixtio, ne qua parte turbetur, eodem procurandum est studio. Hi, enim, blandi, temperati, tenues, fatis fluidi, meablesque, esse debent, ut per vasa, sensim minora ac capillaria, decenti velocitate ferri, ut omnes secretiones et excretiones, quin ipsa quoque nutritio, rite possint perfici. Sed quantitate eorum imminuta, aut qualitate multisfariam viciata, actiones, modo nominatae, pleraeque laeduntur, et, nisi acuti semper ac acutissimi, longi tamen plurimum, morbi, tanquam sexui sequiori congruentes, cacochymiae, cachexiae, chloroses, mensium ataxiae, alui constipations, spasmii, hystericae perpessiones, phlogoses, capitis dentiumque dolores, tumores, scirrhique, cancrique, sociatis aliis caussis, erroribusque in diaeta commissis, bene multis, otio praesertim inertis ac nimio somno, coniunctis inducuntur.

### §. XI.

Quantum isti omnes alterutri horum naturae stimulorum detrahunt ac negant, tantumdem, imo multo plus, alii iisdem addunt, et oleum veluti flammæ, ignem igni, adiungunt. Extra dubium est, partem generis humani longe maximam



ximam placitis se non abstinere bonis, sed caeco duci sui sensus impetu, nec cupiditates ac libidines suas, quod imperantis esset rationis, quod heroicæ habendum virtutis, moderari. Innumerus est eorum numerus, qui vni suo abdomini videantur nati; qui eant, quo gula ducat, gula harpyiis digna rapacibus;

*Sunt, quibus in solo est viuendi causa palato.*

Sunt omnino, qui quaerant, quemadmodum post saturitatem quoque esuriant, quemadmodum non impleant ventrem, sed farciant; qui, quod tribus vris satis esse queat, vna mensa deuorant, ventresque illos veteris aei collatinos si non vincant, aequent certe, et Milones, et Vitellios, et fabulosum illum Erisichthona, viuis ab OVIDIO<sup>m)</sup> coloribus pictum, nobis reddant,

— — — *cui furit ardor edendi,  
Perque anidas fauces immensaque viscera regnat.*

Sunt, qui gulæ titillandæ magis, quam replendi ventris, rationem habeant, earumque ob causam subtilis palati blandimentis nouisque lautiis, studiosissime insidentur; quibus mortalium beatissimis, delicatissimas sine fine desiderantibus epularum voluptates, Mardiniorum Apiciorumque coniunctæ exquisitissimæ artes, cocturae ac condimenta, faliuam mouere, fastidia deducere, languorem ventriculo eximere, vix possint. Sunt tandem, vt foedioris intemperantiae nihil desit, qui cum heluationibus suis compotaciones quoque strenu-

<sup>m)</sup> OVID. Met. VIII, 828 sqq.

*Qui sibi, quod pontus, quod terra, quod educat aer,  
Poscit; et appositis queritur ieiunia mensis;  
Inque epulis epulas querit; quodque urbibus effe,  
Quodque satis populo poterat, non sufficit vni;  
Plusque cupit, quo plura suam demittit in alium.*

❧      ♦      ❧

frenuissimi copulent, ab ouo vsque ad mala plenis scyphis,  
Thracum more, pugnant, maiores continuo calices sibi  
poscant, ad numerum bibant, et

*nocturno certare mero, putere diurno,*<sup>n)</sup>

nunquam cessent. Quibus bibulis potoribus, quamuis initio,  
ad explendam sitim, haustulus aquae pro nectare erat, aut  
cereusiae cantharus, lymphatum merum, nouum fu-  
giensque vinum, vile Sabinum, facile sufficiebat, nunc, ad ira-  
tam veluti placandam gulam, languidum ac feuerum expeti-  
tur, veteris ardentesque Falerni pocula poscuntur, calloque  
tandem obducta gula, ignei fumantesque ex faece vini spiri-  
tus, alioque, arcana artibus parati, suauissimi liquores, in-  
gluie nunquam explenda, hauriuntur:

*qui potus, dubium, sistat alatne, sitim.*<sup>o)</sup>

Qui, denique vt illa CICERONIS usurpemus, in mensam  
vomant, crudique postridie se rursus ingurgitent. Nimi-  
rum,

*quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae*<sup>p)</sup>.

### §. XII.

Vtroque hoc modo lurcones isti Luciliani, comedones  
ventresque, in beneficam naturam ab omni parte grauissime de-  
linquunt, et, cum aliis bene multis ac fonticis morbis, naturalem  
stimum, tot additis artificialibus, paullatim obtundunt, tandem  
que omnino extinguunt. Qui ventriculum enim, quoties pos-  
unt, quocumque tandem cibi, quo populus etiam vtatur, genere,  
ad summam satietatem fastidiumque replet, donec obturata  
profund-

<sup>n)</sup> HORAT. Ep. I. XIX. II.

<sup>p)</sup> Idem Faſtor. I. 216.

<sup>o)</sup> OVID. ex Ponto III. I. 18.



profundissima gula nihil amplius ingerere ac intrudere, donec digito veluti in fauces inserto, redundantem farraginem contingere, possint, conenturque reprimere; ut regustare deglutita vereque ruminare debeat; ut ventris molem onusque vix amplius sustinere, ut spiritum sine anhelitu vix ducere, possint; hi certe omnes, ut facile intelligitur, ventriculum suam ultra capacitatem violenter distendunt, actionem eius sufflant, fibrarum robur frangunt, sensus debilitatem inducunt, quodque adeo primum est, ciborum appetitum minuant, extinguunt, nauseas, spontaneas vomitiones, arcessunt, digestionem alimentorum turbant, atque sic tandem laesa, ut loquimur, chylificatione ac sanguificatione, compressis vna viscibus prope modum omnibus, actiones etiam reliquas in confessum rapiunt, sanguinis circuitum praepediunt, respirationem difficultem, laboriosam, reddunt, corpus ignavum efficiunt, animum torpore deprimit, milleque morbis aliis, mille mortibus, vias aperient. Malae quidem huic caussae ac peruersae consuetudini CELSVS, <sup>2)</sup> non mutilatus, sed recte intellectus, non, quo nomine multi culpam praetexere conantur, patrocinatur, prodeesse sano homini affirmans, nullum cibi genus fugere, nempe, quo populus vtatur; interdum in coniunctu esse, sed quoque, interdum ab eo se retrahere; modo plus iusto, modo, autem, non amplius assumere; bis die potius, quam semel cibum capere, et semper quam plurimum, sed ea conditione, dummodo hunc concoquat. Non tantum enim statim subiicit, ea corpora, quae more athletarum repleta sunt, celerrime et senescere et aegrotare; sed alio etiam, non difsito, loco, hanc viuendi normam nobis praescribit <sup>3)</sup>: At imbecillis, (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi litterarum sunt) obseruatio maior necessaria est:

Vbi

2) de Re Medica, I, I.

3) IDEM ibidem cap. 2.

*Vbi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas; saepe inutilis nimia abstinentia; saepe, si qua intemperantia subest, tutior est in potionē quam in esca. Cibus a salsamentis, alecibus, similibusque rebus melius incipit. Tum caro assumenta est, quae asa optima aut elixa est. Condita omnia duabus de caulis inutilia sunt, quoniam et plus, propter dulcedinem, assumuntur, et, quod modo par est, tamen aegrius concoquitur.*

## §. XIII.

Neque vero hic vilioris tantum conditionis homines notandi, et naturae imperio subiiciendi, sunt, sed ista etiam praecepta ad lautiōres illas, et sola libidine fortes, pertinent animas, quae in vniuersum, quod lubeat, licere sibi praeſumunt; quae suae vbiique sponteſt, fine omni interpellatione, contendunt. Non enim hic excusatiſt, sed multo ſaepē grauius, peccatur, ac infiſmus ille ac inficetus vulgi populus ſolet delinquere, qui vulgatissimo cibo videtur abutī, licet eodem pro ſua eſuritie vtatur. Exquisitissimis enim cibis dapibusque, largius ingestis, geminam ſibi perniſiem, genio ſuo indulgentes, faciunt, alteram, dum nimia ciborum copia ac varietate ſe obruunt, et quaſi faginant; alteram, dum eiusmodi ferula ac lauitias curioſe nimis anquirunt, et apparari ſibi volunt, non, quae vllam eſuriem compescant, ſed quae libidinem potius incendant, languentemque gulam et ſolita fastidientem, irritent. Ut quisque enim maiore conſpicuus eſt dignitate, opibusque valet et abundat: tanto pre- tiosioribus mensam dapibus opulentat, nec famem quidem ſitimque operiri, ſed ea omnia luxu ante ſolet capere. Sed quoniam tandem euentu! Praeter oppreſſum extinetumque naturae ſtimulum, multis magnisque morbis ſe obnoxios redunt, quorum ſubinde tarditas grauitate compensatur. Quos enim

C 2



enim, in regalibus istis sedibus, magnificisque palatiis, frequentiores offendas pedissequos, quam delicatissima fastidia, cruditates, plethoras, obesitates, congestiones, haemorrhagias, haemorrhoides, arthritides, nephritides, calculos, intermittentes ardentesque febres, inflammations, diarrhoeas, dysenterias, vertigines, apoplexias, catarrhos suffocatiuos, hydrops, et si quid tetrius istis? Haec experiendo saepe multumque, proh dolor, didicimus. Ne vero nimium exagerata putes, en testem, fide, ni fallor, dignissimum, omni exceptione maiorem, torties laudatum SENECA<sup>1)</sup>) Medicina, inquit, quondam paucarum fuit scientia herbarum; deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem: nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse firmis adhuc solidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui postquam coepit, non ad tollendam, sed ad irritandam, famem quaeri, et inuentae sunt mille conditurae, quibus aquitas excitaretur, quae desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et neruorum, vino madentium, tremor, et miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame, macies. Inde incerti labantium pedes, et semper, qualis in ipsa ebrietate, titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assuevit plus capere, quam poterat. Inde suffusio luridae bilis, et decolor vultus, tabesque in se putrescentium, et retorti digitii articulis obrigescientibus, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatione sine intermissione vibrantium. Quid capitatis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri aestuantis verminations, et omnia, per quae exoneramur, internis volceribus affecta? Innumerabilia praeterea febrium genera, aliarum, impetu saeuientium, aliarum, tenui peste repellentium, aliarum

<sup>1)</sup> Epistol. XCV.

❧ ♚ ❧

aliarum, cum horrore et multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, suppicia luxuria? Immunes erant ab ipsis malis, qui nondum se deliciis soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant, corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata. Excipiebat illos cibus, qui, nisi esurientibus, placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna Medicorum supellecīle, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat ex simplici causa valetudo; multos morbos multa fercula fecerunt. Haec tenus Philosophus noster  
SENECA.

#### §. XIV.

Sed exemplorum vis quam saepe maior esse soleat, quam rationum pondera, non possum non ipsum in scenam CICERONEM<sup>1)</sup> producere, ut diligenter in illum intuentes, alieno periculo sapere tandem audeant, et cum eodem cautius mercari discant. Quam vellem, ut ipsum, Gallo suo referentem, legant, quem tibi morbum vna coena augurali contraxerit! Attamen, ait, ne mirere, unde hoc acciderit, quomodoque commiserim: lex sanitaria, quae videtur θεραπεία attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt ipsis lauti, terra nata, quae lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condidunt, ut nihil possit esse suauius. in eas quum incidisem in coena augurali apud Lentulum, tanta me dijēcia arripuit, ut hodie primum videar coepisse consistere. Ita ego, qui me ostreis et muraenis facile absinebam, a beta etiam et a malua deceptus sum. Posthac igitur erimus cautores. — Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam, nam et vires et corpus amisi. Videturne tibi in aurem blandissime insu-

C 3

<sup>1)</sup> Epistol. VII. 26.



insusurrare: Disce meo exemplo! Quanto magis optandum esse censeas, vt, quorum ad exempla totus orbis compenitatur, legibus naturae, quibus, vt sumtuariis forte, solvi non possunt, aliquando libentius obtemperent, et magis maiorem Alexandrum illum Magnum, hac praesertim in caussa, imitandum sibi proponant, qui luculentissimum quondam continentiae documentum edidit, Adae, Reginae, lenocinia, tanquam Sirenes, praeter nauigans. Dum haec ita geruntur, CVRTIVS <sup>1)</sup>) refert, exquisitae artis saporisque cibos atque bellaria solliciti confici curabat Ada, eaque cum ipsis coquis et cupidiariis Regi dono mittebat; tanquam bene merenii gratiam relatura, si muniis armorum fessum fatigatumque, Asiatici luxus deliciis exciperet. At ille prudens, intemperantiam gulac, seria traxanti, intempestiuam esse, benevolentiae quidem muliebri comiter gratias egit, ceterum non attinuisse respondit, ut pro ipso sollicita esset, meliores habente coquos, quibus ipsum olim paedagogus suus Leonidas instruxisset, ad prandium iter anteluconum, ad coenam frugale prandium. Audiamus et nos paedagogos nostros, eorumque saluberrima, de adhibenda in viatu summa temperantia, praecepta, memoria, numquam vacillante, retineamus. Audiamus in primis, in rem praesentem, probi poetam exempli, HORATIVM, <sup>2)</sup> optima vitae ac valetudinis tuendae consilia breui hoc et concinno comprehendentem carmine:

*Accipe nunc, viclus tenuis quae quantaque secum  
Adferat; inprimis valeas bene; nam variae res  
Ut noceant homini, credas, memor illius escae,  
Quae simplex olim tibi federit; at simul assis.*

*Miscell.*

<sup>1)</sup> FREINSHEMII *Suppleni.* lib. II. cap. 8.

<sup>2)</sup> *Serm.* II. Sat. II. 70.

Miscueris elixa, simul conchylia turdis,  
 Dulcia se in biley vertent, stomachoque tumultum  
 Lenta feret pituita; vides, ut pallidus omnis  
 Coena defurgat dubia? quin corpus onussum  
 Hesternis vitiis animum quoque prægrauat vna,  
 Aique affigit humo diuinæ particulam auræ.

Audiamus adhuc monitoribus non asperi, LVCANVM, )  
 pulchre concinentem:

— — — O prodiga rerum  
 Luxurias, numquam paruo contenta paratu,  
 Et quæstorum terra pelagoque ciborum,  
 Ambitiosa famæ, et laetae gloria mensæ!  
 Discite, quam paruo liceat producere vitam,  
 Et, quantum natura petat.

### §. XV.

Vlterius nunc progrediamur, licebit. Ut in rebus, ad  
 vitam prouehendam necessariis, primum omnino locum  
 vietus obtinet, ad stimulum naturae ingerendus; sic in ne-  
 cessitatibus nostris alterum mox locum ea sibi vindicant,  
 quæ, in usum corporis non conuertenda, imo vero sine  
 summa molestia ac noxa non retinenda, exstimulante pariter  
 natura, excerni debent egerique. Quibus igitur in sex re-  
 bus, quæ vocantur, non naturalibus, suus singularis attributus  
 locus est. Tria eiusmodi excretionum genera sole-  
 mus constituere; quarum binae, quæ per alium fiunt et  
 vesicam, in sensus incurront, eaque propter sensibiles di-  
 cuntur; tertia vero, quæ tacite latenterque per cutem fit, insensi-  
 bilis proprie perspiratio nuncupatur. Omnes sua quasi  
 sponte,

) Pharsal. IV. 373.



sponte, sine praescitu, sine consensu conatusque, nostro, semper necessario, ex sola machinae nostrae corporeae constructione ac constitutione, in tenerima aetate nostra, consequuntur, et ad actiones pure naturales referuntur. Successu tamen temporis, vbi paullatim adolescimus, et ad rationis usum cum ratione educamur, binae priores excretiones, animae imperio, voluntati ac consensui nostro, sic subiiciuntur, ut, sicuti, definito ad arbitrium tempore, famem explore, sitimque sedare, solemus, ita non minus longa assuetudine id possimus consequi, ut suo quoque tempore his egerendi stimulis pariter obediamus, hoc est, bene egeramus. Tum vero ad mixtas actiones referri incipiunt. Nam vero et hic naturam, ad omnia prouidentem, facile et cum admiratione agnoscimus. Id, quod ingestum est, et in succum ac sanguinem conuerti nequit, corporis finibus utique eliminandum est; sed quantum fieri quidem poterat, sine omni, sine magna, nostrum ac sociorum nostrorum, offendit. Ea propter maxima ingestorum, at non retinendorum, pars tam subtiliter elaboratur, ut perpetim per cutem, halitus instar, euaporare, et, sine reliquo sui vestigio, tenuis in auras possit euanescere. Quod reliquum est, tam blandum temperatumque efficitur, ut paullatim colligi, nec, nisi mole sua, destinata suae excretioni viscera extimulare, viamque, quodam modo praeclusam, aperire sibi possit. Alii et vesicae excrementsa nominasse sufficit. Quem in finem haec, multa partim aqua seroue diluta, partim in ceream mollitiem densata, prodeunt; utrinque visceribus mucoso praeterea lentore defensis, mollique circumfusis pinguedine, ut sensu non ita exquisito pollerent, et spectabilis eorum capacitas, ad recipiendas retinendasque, sine molestia, multis fortes, idonea ac commoda praestaretur.

§. XVI.

## §. XVI.

In hoc vero apparatu non acquiescendum sibi vidit naturae prouidentia, sed cum vtilitate ac necessitate nostra, decoris etiam, munditiei, honoris ac verecundiae, rationes coniungendas esse intellexit. Quam ob causam non modo vias haſce, his dicatas emissionibus, quantum maxime ab omni aspectu remouit, et in ima corporis parte coniunctas aperuit, vt vno consilio conatique, ac sine percipienda odoris foeditate, vtroque ventris onere nos leuare possemus; sed, quod maximi habendum est momenti, easdem has vias sphincteribus, siue musculis formatis, voluntati adeoque nostrae magna ex parte subiectis, et ad nutum parere paratis, circumdedit, et pessulos veluti his ostiis obdidit, vt, siue pro intellecta rei necessitate, referare eadem et secreta loca captare, siue stimuli molestiam dissimulare paullisper et sine noxa tolerare, possemus. Summe igitur laudabilis, quin necessaria quoque, habenda consuetudo est, qua id a nobis impetrare quaerimus, vt semel aut bis die, omnibus quidem matutinis ac vespertinis, hoc debito naturae officio nos exfoluamus; id quod, sicuti ad curam valetudinis, semper honestam, pertinet; ita singularem quam vrbananitatis ac elegantiae laudem conciliare nobis, et nostram cum aliis consuetudinem iucundam facere, inprimisque id efficere, potest, vt publicis ac priuatis solemnitatibus quieti et verecundi interesse, et negotiis nostris sine molesto interpellatore vacare, valeamus.

## §. XVII.

Sic isti quoque naturales egerendi stimuli arbitrio nostro magnam partem subiecti sunt, inprimisque id nobis integrum relictum est, num illis praesentibus, deque officio nostro nos admonentibus, obedire statim, an resistere quodammodo, voluerimus. Quod posterius ad rem nostram praesentem

D

f



sentem praecipue pertinet. Qua enim ratione, quibusue modis, hi stimuli per variam in vietu potuque intemperaniam, innumerosque alios in omni diaeta errores, augeri minique possint, ac soleant, hoc quidem argumentum, gravissimum licet, cum hoc nostro aliquanto laxius cohaeret. Defectu vero, seu neglectu potius, quam excessu, heic peccatur; cuius rei frequentissima, et tantum non quotidiana, existant exempla. Quamuis enim, vt in prouerbio est, naturalia non sunt turpia, necessitasque legem non habet, neminem tamen facile futurum existimamus, quin eo se subinde saepius reductum, coactumque, fuisse concedat, vt omnibus suis ingratii et inutili verecundia ductus, lotium retinere, aluumque comprimere, deberet. Quod quidem plurimum, sine magna molestia, ac perturbatione, sine anxietate, ingentique dolore ac cruciatu, consequentibus, fieri non potuit; sic vt cum OVIDIO conquerendum fuerit:

*Tristia cum magno damno pudore tuli.*

Frequentiores sane ac numerosiores, imo saepius improuisae, illae esse occasiones possunt, quae intempestuum nobis pudorem extorqueant; quas hoc loco recensuisse nihil attinet: interea tamen summa a nobis cautio est adhibenda, vt ne in publicum, in scenam, aliasque conciones, multum sibi poscentes temporis, temere prodeamus, nisi ad longiores has moras bene praeparati, et consuetudini egerendi ante probe fuerit satisfactum. Quod enim contra consuetudinem contingit, magnopere nocet, omninoque naturam sui corporis quemque scire conuenit. Ut hoc enim vtar, vesica, a collecta paullatim copiosoire vrina sic ultra suam capacitatem distendi potest, vt paralysi adsciatitur, atque se deinceps aplane non, aut non sine magna mora ac difficultate, ad expellendam vrinam, contrahere valeat. Tum vero omnibus nostris

nostris viribus lotii excretionem eniti non licet; quo ischuria ac dysuria genere seniores potissimum homines plures solent affligi. Quodsi vero vrina, potus praesertim, subito ac copiose in veitcam irruat, ad eius rupturam fere, funestus saepe euentus esse potest, quod exemplo suo TYCHO DE BRAHE, toto notissimus orbe, confirmat, aut lipothymiae, apoplexiae, incurabiles paralyses, consequuntur. Neque aliter se res habet, cum neglecto aluinias faeces egerendi fatusque dimittendi, stimulo, ex ventre contra voluntatem longius vehementiusque compresso. Quemadmodum enim ex sola hac caussa saepe inflationes, caligines, capitis dolores, vertigines, conuulsiones, lethargi, lipothymiae, apoplexiae, aliaque innumera, superiorum praesertim partium, mala oriuntur et fouentur: sic etiam neglectus iste ad breue tempus, praeterque confuetudinem, contingens, stimulus, adeo obtunditur, vt alui mox pigrities et tanta enascatur constipatio, quae omni saepe arte consumpta expugnari nequeat, praeterque dolores acutissimos, spirandique difficultates et anxietates ineffabiles, multas alias afflictiones, per consensum excitatas, comites nonnunquam habeat. Quod binis domesticis exemplis cum coniuncta tunc immobilitate, abdominis tympanitem, ceruicisque ac spinae dorsum tetanum veluti, referentibus, compertum nobis est.

### §. XVIII.

Tanto minus autem excusari eiusmodi neglectus potest, vbi stimulos istos non sine aegritudine supprimimus, eti nostrae spontis, iuris nostri, omnino fuerimus; praesertim, quem stimulis istis leuari, lotioque ac aluinis fardibus exinaniri, cum sensu quodam voluptatis coniunctum sit. Culpa vbiique subest, siue circulos nostros, litterarum studia ac profundiores meditationes nostras, turbare, siue per ignauiam,

D 2

aut



aut somnolentiam, loco lectoue nos mouere, noluerimus. Inprimis vero multiplices noxae, ex frequentiore horum stimulorum suppressione, maxime in corpus iam male affectum, redundant. Hinc enim primarum viarum debilitates proxime souentur augmenturque, humores putrida ac faeculenta indole inficiuntur, ipsae faeces nimium exsiccantur induranturque, adeoque passionibus hypochondriacis ac hysterics, moliminibus haemorrhoidalibus, haemorrhoidibus caecis, foedis ulceribus ac fistulis, frequens occasio suppeditatur. Quid? quod grauidae praesertim feminae, puerperaeque, tamquam grauiter vulneratae tractandae ac custodienda, ex eiusmodi spontanea, aut frequentius, propter intempestivum pudorem coacta, stimulorum suppressione, maximopere laeduntur, et in grauissimos morbos, cumque virtutae discrimine coniuncta non raro pericula, ob occultam praesertim celataisque caussam, coniiciuntur. Quo etiam male retentum ac remeantem flatum, si auribus honor, iure meritoque referas; vnde, quod vix credas, non minus iniqua valetudine et grauibus morbis, coli, stomachi, ventrisque inflatione, tympanitem saepe mentiente, asthmate flattento, suffocatione, vertigine, torpore, apoplexia denique, corripimur, et prope deponendis assimulamur. Sane WENCESLAO BAYERO, *Cabitensi*<sup>a)</sup> quondam

*Res leuis et nibili, vapidus per corpora flatus,  
visus non fuit, publica disputatione considerationem flatuum  
proponenti, eorumdemque praeconia veluti ac praerogati-  
uas,*

<sup>a)</sup> Haec disputatione Medica Lipsiae, sine die ac consule, ut videtur, post annum 1487. mense Maio, Magistro Magno Hunt, Medico respondentie, habita est; quod vitae huius viri, a b. PLATNERO meo, *Opuscul. T. II.* p. 35. descriptae, addi forte possit.

nas, carmine non inuenusto canenti, ex quo, ne seculi forsan elegantiam, ioco paullo liberiore, offendamus, pauculos, qui sequuntur, versiculos obiter adiicimus.

*Quidquid et Euphrates emitit et Indus odorum,  
Non dat, quot crepitus commoda ventris habet.  
Pedere nil turpe est, Claudi<sup>b)</sup> si iussa sequamur;  
In celebri fas est pedere symposio. — —  
Tormina si corpus vexant, ventusque vaporque,  
Vilia sunt, licet, haec, sintque minuta simul:  
Ni tamen insigni Phoebus curauerit arte,  
Sunt tibi letiferi maxima caussa mali.*

### §. XIX.

Rariora esse diximus eorum exempla, qui hos egerendi stimulos, aliquando deficientes, ob causae scilicet exstimulaturae absentiam, ciere tamen, atque sic hac etiam in re excessu quodam peccare, soleant; non omnino tamen nulla sunt, maximeque in sexu elegantiori obvia occurrunt. Timentes enim feminae, ne quo incommodo afficiantur, vbi suae spontis esse nequeant, omnem veniae petendae causam ante occupare, omninoque amoliri, anxie contendunt; quo tamen, toties repetito intempestiu inutilique nisu, naturam

D 3 turbant

<sup>b)</sup> De Tib. Claudio Caesare refert in vita SVETONIVS, cap. 32. Eum, flatum crepitumque ventris, etiam in conuiuio, emitendi veniam per edictum fuisse daturum, quum, quod omnino notandum est, periclitatum quendam prae pudore ex continentia reperisset; quod humanitatis potius, quam feritatis, speciem prae se ferre, posset videri, nisi alioqui confarer, hunc Caefarem, saeuum natura fuisse et sanguinarium, hominum, nepotumque Augusti, dissolutum maxime ac perditissimum, in cuius conuiuia, illud IVVENALIS, Sat. II, 110. optime quadret: *Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensae.*



turbant et confundunt, sibique aliud maioris incommodi genus pariunt, acutiores nimirum in his partibus, etiam a sola cogitatione excitandum, sensum, perpetuumque a minima mole irritamentum, unde cita alius consequitur lotiique stillicidium. Quanta enim confuetudinis vis esse soleat, et quam facile nos possimus alicui rei assuescere, huius rei infinita prostant exempla, sed hac ipsa in causa omnium luculentissima. Optime enim valens, solita aduentante cibi hora, naturali cibi potusque desiderio flagrat, sed illa longius forsan dilata, famem sibi minui sentiet, nullam, nunc parata tandem opipare mensa, superstitem conqueretur. Idem, ad lucem usque perdomiscere consuetus, noctem semper insomnem ducet, ubi consuetus lectulus corpus suum non habebit. Neque minus idem, praeter morem, multa nocte semel iterumque ex somno excitatus, aut sua sponte expperitus, proxima sequentia nocte, eadem ruente hora, rursum somnum, oculis electum dolebit, noctemque vigilabit amaram. Qui, si forte vrinac stimulum importunum una sentiat, eundem deinceps saepius et per longum tempus, redditum, seque excitaturum, sentiet. Saepe pueruli nostri, imo quoque iam satis adulti, poti et non poti, lectum semel atque iterum commingunt; sine multa animaduersione dimisis, infortunium hoc facile supprimitur; contra vero acriori subiectis censurae, et ignominiosae castigationi, propter perpetuo inhaerentem poenae metum, auertamque anxietatem, renitentibus maxime, totis noctibus hoc iniustum malum reuertitur, quo diutius inhaeret, rebelle magis, penitusque tandem incurabile. Saepe propterea multumque hoc consilium, ex alii pigratie male se habentibus, opportunum saluberrimumque experti sumus, iussis nimirum, ut definita quadam matutina aut vespertina hora, sine intermissione, sellae familiariae se committerent, obstinateque eidem

eidem insiderent ac insisterent, fortiter tamen aluum non comprimerent, licet saepe numero re infecta discedere cogerentur; qua sua tandem pertinacia permulti naturam ad officium reduxerunt, repudiatis omnibus, aluum soluentibus, remediis. Altera consuetudo natura est; quae bona, ut vsum lenit laborum, sic naturae quoque stimulos prudenter obseruat et custodit. A teneris vero affluefcere multum est. Salubrius igitur consilium, ex metu erroris in errorem facile labantibus, exque timore et inutili verecundia, peccantibus et naturam suam offenditibus, dandum non nouimus, quam quod poeta nobis dedit:

*Intempestinos igitur compesce timores.*

§. XX.

Haec iam nunc de iis naturae stimulis, quibus diligenter obseruatis et reuerenter habitis, vitam sanitatemque prorogare, vitaeque nobis curriculum dilatare, valemus, deproperata sufficient. Quae dici adhuc de stimulis, ad licitam iussamque venerem nos excitantibus, verecundiae tamen non inimicis, debuissent, cum ipsa hac dissertatione mox copulabimus.





**ULB Halle**  
004 057 996

3



v278

56



### Farbkarte #13

